

X 2316700

687



DE  
VELAMINE OCVLORVM SARAE

AD GENES. CAP. XX, 16. PAVCA DISSERIT

SIMVLQVE

VIRO PLVRIMVM REVERENDO

DOMINO

M. ERNEST. THEOPHIL.

LIZKENDORFFIO

PASTORI ECCLESIAE LINDAVIENSIS MERITISSIMO

*ἐν τοῖς ἀπαυλίοις αὐτῆς πανόληθια*

PRECATUR

M. IOANNES GVILIELMVS RICHTERVS

PASTOR VVEISENBORNENSIS.

CIZAE,

LITTERIS HVCHONIANIS.



Plurimum Reverende Dn. Vicine,  
Confrater, Amice honoratissi-  
me, perdilecte!



mor, ut TE non fugit,  
non praecipitur, sed ex-  
citatur. Amor sponte  
oritur, si hominem amo-  
re dignum animadverti-  
mus. Singuli omnes, et omnes singu-  
los, amare debent, hinc amare velle o-  
mnibus ac singulis debet esse in promptu,  
sed ut possimus efficiendum est. Id au-  
tem fit, si operam damus, ut quae in quo-  
que bona et pulchra sunt, intelligamus.

Vir

Vir plurimum Reverende, simulac  
TE vidi, TE amare et volui et potui.  
Laude enim et amore digna in TE ani-  
madvertebam. Hic amor erga TE me-  
us effecit, ut familiariter TE uti vellem.  
Licuit mihi, quod volui. Semper hu-  
maniter me excepisti, et quando solitu-  
do, in quam ex celebritate loci disces-  
si, mihi displicuit, conjunctio TUA mihi  
semper frequentiae populi loco fuit. Tu  
mecum es, quando in locis solis erro,  
dum animo recolo, quantum utilitatis,  
suavitatis delectationisque ex sermoni-  
bus consiliisque Tuis ceperim, quae  
cogitatio semper meum erga TE amo-  
rem auget. Nosti animum meum, non  
fictè aut simulate haec scribo.

Quos amamus, eorum etiam com-  
modis laetamur. Nobilissimam, Ami-  
ce per dilectè, HEMPELIAM in matri-  
mo-

monium ducis, virginem iis mentis ac  
animi virtutibus ornatam, quae felix  
TIBI conjugium promittunt.


In Conjugis electione virtutis inprimis  
rationem habuisti, hinc non poterit  
TE unquam consilii poenitere. Con-  
jugem habebis, quam propter virtutem  
et amare et magnifacere poteris, quae-  
que etiam TE ob virtutem amabit et ma-  
gnificet. Omnes qui TE et Nobilissimam  
Hempeliam norunt, de conjugii vestri  
felicitate plane non dubitant, et quis  
dubitare vellet, cum perfecta animos ve-  
stros similitudo intercedat? Hac igitur  
felicitate TUA laetor, quia TE amo, et  
hinc laetitiae meae testimonium dicant  
ea, quae scripsi, quia nuptiis ipse inter-  
esse non potui. Scribebam Weisenb.  
d. 18. Feb. 1759.

✻

✻

✻

Omnem



mnem naturam Sarae uxoris Abrahami vi divina eo tempore fuisse mutatam, quo Deus illi promiserat filium, ex eo probabile est, quod eandem recepit pulchritudinem, qua forsitan aetate juvenili excelluit. Abrahamum enim in locis peregrinis veritum esse legimus, ne principes formositate uxoris adducti ipsum occiderent, quod periculum ut evitaret, eam his locis, ubi de humanitate morum dubitabat, sororem suam dicebat. Hac prudentia etiam utebatur Abrahamus apud Abimelech regem Garar, qui, vere credens Saram esse Abrahami sororem, eam conjugem sibi eligebat, somnio autem divino monitus, ne eam attingeret, quia conjux esset Abrahami, eam Abrahamo restituebat. Quo autem modo restituerit his enarratur verbis:

וְלִשְׂרָא אָמַר רַגְלָה נִתְחַי אֵלַי כִּסֵּךְ לְאַחֶיךָ הֲנִי הוּא  
כִּי כִסּוֹת עֵינַיִם לְכֹל אֲשֶׁר אַתָּךְ וְאַתָּךְ כָּל וְנִכְחַת

Quae verba omnino difficultate aliqua laborant, id quod diversae de iis interpretum sententiae probant. Nos in explicandis iis ita verfabimur, ut omisissis aliorum interpretum sententiis, eam ex usu loquendi et moribus antiquis probemus, quae nobis prae aliis veritati propior esse videtur.

Ut finem, quem persequimur, feliciter attingamus, non abs re erit, singulorum verborum significatum praemittere.

\* 3

Ecce

כסף הנה נתתי אלף כסף      Ecce dedi mille siclos. כסף

per se notat argentum, deinde pecuniam sive pretium in genere, ut Genes. XXIII. 13. הנה נתתי כסף השרה dedi pretium agri. Quando autem haec vox conjungitur cum numeralibus, verti debet per siclum. Subintelligitur autem verbum שקלים quod apparet tum ex iis locis ubi diserte id nomen additum legimus, ut Genes. XXIII. 15. ארץ אבנע חסף terra quadringentorum siclorum cf. Ios. VII. 21. tum versione Chaldaica, quae addit verbum כרעין quod idem est, quod Hebraicum שקלים quam etiam secuti sunt LXX. qui suppleunt per διδραχμα. Plura exempla hujus ellipsis non opus est addere. Videri possunt apud Waltherum in Ellipsi. Heb. p. 69. Hillerum de Sermone Elliptico n. 391. Obiter adhuc est notandum LXX. Interpret. Zach. Cap. XI. 12. חספים שלשים vertisse per τριανοντα δεγυζια Hanc versionem secutus est Matthaeus Cap. XXVI. 15. cum igitur certum sit חסף additum numeralibus significare siclum, per ἀγύζια apud Matthaeum siclos etiam intelligi necesse est.

לאחריך      Dedit autem hos mille siclos Abrahamo, quem Abimelech fratrem Sarae appellat, quia Abrahamus eam antea sororem suam dixerat. More Hebraeorum fratres dicuntur, qui necessitudine qualicumque sunt conjuncti. Sic Abrahamus supra de Lotho dixit: אנחנו אנשים אחים אנחנו nos sumus fratres, cum fratrum essent filii; Rasche exponit per קרבים Eodem modo in libris N. T. verbum ἀδελφός sumitur. Ex multis unum liceat allegare locum. Matth. XII. 46. mentio fit fratrum Christi, ubi pariter cognati illius intelliguntur. Ex ignorantia hujus Hebraismi factum est, ut quidam patres virginitatem matris Christi post partum negarent, quia mentio fratrum Christi fieret.

הנה הוא      Quidam falso referunt illud הנה הוא ad Abrahamum, sed ea, quae sequuntur, minime de Abrahamo praedicari possunt. Non video, quid nos impediatur, quominus referamus ad חסף cum hoc aeque sit masculinum. Consentiunt LXX. qui vertunt και ταυτα scilicet διδραχμα.

**כסות עינים** Hi mille fidei impendantur, ad velamen ocu-  
 lorum, intelligitur velamen quo tegitur vultus, **עינים** enim saepi-  
 us synecdochice ponitur pro toto vultu. Sic in N. T. *ὄφθαλμὸς ἀπλῆς*.  
 Hebr. **עין טוב** de vultu hilari et fronte serena dicitur, cum e contra-  
 rio *ὄφθαλμὸς πονηρὸς* Hebr. **עין רע** denotet hominem sordidum,  
 auarum, cuius cupiditas e vultu cognoscitur. Velamen autem illud de-  
 bebat esse signum, ex quo cognoscatur, Saram esse maritam. Iam  
 cognitum est, LXX. in vertendo saepius non ad verba sed ad sensum re-  
 spexisse. Id obseruarunt etiam hoc loco **כסות עינים** enim verte-  
 runt per *τὴν τιμὴν προσώπου*, cum qua versione consentit Chaldaica,  
 quae habet **כסות ריקר** velamen honoris. Hanc versionem ita vin-  
 dicamus. Hebraeis virginitas perpetua erat dedecori, marita contra  
 magno erat in honore. Non inepte igitur LXX. illud velamen verterunt  
 per *τιμὴν προσώπου*, quia efficit, ut foemina in honore habeatur, non  
 amplius enim esse virginem ex eo perspicitur. A quibus autem ut ma-  
 rita cognosci debeat, sequentibus dicitur verbis.


**ל כל אתך** i. e. ab omnibus reliquis foeminis, quae co-  
 mites erant Sarae. Sic acceperunt Alexandrini *πάσαις ταῖς μετὰ*  
*σῆ* et cum his Aquila. Sensus igitur est:

Hoc velamen sociis tuis testetur, te esse conjugem. At enim  
 objiciat aliquis, non credibile esse, comites Sarae nondum scivisse, eam  
 esse conjugem. Id etiam nolumus. Credere tamen potuit Abimelech,  
 hoc eas nondum scire, hinc Sarae velamen procuravit, ex quo ut signo  
 externo id ab iis cognosci debeat, hocque cognito illi honorem uxori  
 debitum praeberent. Id autem a sociis Sarae non tantum voluit cognos-  
 sci, sed ab omnibus etiam, qui cum ipso erant, et ad quos in posterum  
 ventura sit, hinc addit **את כל** particulam **את** vertimus per apud,  
 et idem valet quod **את** duobus tantum exemplis hoc probabimus.  
 2. Sam. XVII. 8. **את-העם** pater tuus non pernoctabit  
 apud populum. Job. II. 13. **וישבו-אתו** et confederunt apud eum.  
 Plura exempla videri possunt apud Noldium. Restat ultima textus no-  
 stri vox, in qua explicanda interpretes vehementer defudarunt,

QK II: 402


נכנסת Est particip. in Niphal foem. gen. a נכנסת quod proprie notat, certis argumentis aliquid demonstrare. Gracce ἐλέγχειν, in Niphal igitur est, argumentis demonstrari. Quid erit itaque h. l. נכנסת hoc velamine demonstrata eris uxor, i. e. velamen hoc demonstrabit, te esse maritam. Illud ׀ praefixum commode verti potest: et tunc: quando nempe vultu velato incedes, tunc certo omnes scire possunt, te esse conjugem. Saepius hoc significatu illud ׀ occurrit, videatur pariter Noldius. Eodem sensu in N. T. particula καὶ vsurpatur, e. g. Matth. V. 15. καὶ λάμπει, et tunc lucet omnibus, qui in domo sunt. Cap. VI. 30. καὶ ταῦτα πάντα προσεθήσεται ὑμῖν et tunc haec omnia adjicientur vobis. Singulorum verborum significatum ubi praemissimus, jam paraphrasin addere liceat. Abimelech Sarah conjugem sibi eligebat, quam virginem esse credebat, quia non vultu velato, ut uxores solebant, incedebat, sed divinitus admonitum, ut eam dimitteret, quia conjux magni prophetae esset, ipsum facti hujus poenituit. Hinc eam ita restituit Abrahamo: Marito tuo, quem cognatum tibi esse cognovi, mille scelos dedi, his tibi parabis velamen, quo vultum obtegere possis, ut omnes faciae tuae, et omnes quicumque mei, et ad quos ventura es, inde cognoscant, te non esse virginem sed uxorem.

Hic est sensus verborum istorum, qui per leges Grammaticas inde fluit. Quodsi igitur probari potest, mulieres vultum obvelatum habuisse, de certitudine hujus sensus non est, quod dubitemus. Hunc ritum autem nos docent omnes antiquitatum Judaicarum scriptores. Kimchi, Rabbi Salomon Ben Melech in Commentariis suis ad hunc locum pariter illius mentionem faciunt, cf. Geierus de Cultu Hebr. Cap. XI. p. 160. Seldenus de uxore Hebraea p. 304. et Wagenfilius in Sota p. 198. Id etiam confirmari potest, ex loco illo Paulino I. Cor. XI. ἡ γυνὴ ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, Plerique interpretes per ἐξουσίαν velamen intelligunt. Quomodo autem Paulus, velamentum capitis muliebris per ἐξουσίαν potuit exprimere? quia ex eo cognoscitur, foeminam potestati viri cujusdam esse subiectam i. e. esse uxorem.



nc





Farbkarte #13

B.I.G.

D. K. #12, 28.

X 2316700

687  
Pi  
402

DE  
VELAMINE OCVLORVM SARAE

AD GENES. CAP. XX, 16. PAVCA DISSERIT

SIMVLQVE  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO  
DOMINO  
M. ERNEST. THEOPHIL.  
LIZKENDORFFIO

PASTORI ECCLESIAE LINDAVIENSIS MERITISSIMO

*ἐν τοῖς ἀπαυλοῖς αὐτῆ πανόλβια*

PRÆCATVR

M. IOANNES GVILIELMVS RICHTERVS

PASTOR VVEISENBORNENSIS.

CIZAE,

LITTERIS HVCHONIANIS.

